



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Molles.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

hæc sub oculos assidue obseruata proficere aliquid potest, veluti reliqua quoque sacerdotis ornamenta gestaminaque aliquid præ se ferunt singula, quæ per hieroglyphicum quæque suum, hominem integritatis admoneant. At decies in die vel iustum cadere clamitabunt, ideoque tonendum identidem, ut auellendarum cogitationum pravarum memores identidem sumus: seducere enim seipsum hominem, qui se sine peccato esse professus fuerit. Atqui sanctius est longeque laudabilius, in eo mentem cogitationemque omnem collocare, ne potius peccemus, quam quotidie peccare, ut emendationis admoneamur. Sedenim quantum ad comam attinet, modum his moribus Gregorius sapientissime præscripsit, qui quarta & vigesima libri primi epistola, capillos ipse quoque in capite ait exteriores cogitationes indicare, & præsentis vitæ curas exprimere: quæ quidem ex negligenti atque torpescente sensu coartæ, quia minus opportune prodeunt, nobis quasi non sentientibus pullulant. Igitur aliis qui præficitur sacerdos, neque profus debet sollicitudines exteriores à se projicere, nec illis multum inhærere. Coma itaque nequaquam deglabretur, sed ne immoderatus excrescat, diligenter attondeatur. Quod vero de non abradenda in rotundum facie capillorum, lege prohibitum est, vel, ut Septuaginta reddere *σασσω*, facere more barbarico, quod nonnulli densioris capilli studio faciunt, ob Paganorum instituta nonnulla vetitum putant, apud quos voveri comas, & puerorum capita dæmonibus offerre mos fuit.

SERVITUS. CAP. XXXV.

Servi Agrippæ Posthumus factum.

Cæterum rasitatio capitis apud Græcos pariter & Latinos diu seruitutis indicium fuit. Ideoque Agrippæ Posthumi servus nomine Clemens magna aufurus, ut pro Agrippa jam necato, cui non nihil omnino similis erat sese ferret, & res novas in Republ. concitaret, furatus domini cineres, Coram Hetruriæ promontorium vêtus ignotis sese abdidit locis, donec (inquit Tacitus) crinem barbamque promitteret: nam servi caput rasitabant. Apud Aristoph. Avibus, Pistotherus admiratur Poëtam, qui se Musarum servum dixerat, comatum esse. Et apud Latinum Comicum tamquam mirum de se futurum dicit Amphitryone servus Sofia,



Ut hodie abrado capite calvus accipiam pileum.

LIBERTAS. CAP. XXXVI.

Artem. l. 1. cap. 22. Lacedæmoniorum mos in bello.

Onirocritæ frontem capillis glabram imaginari, indicium esse autumant liberationis à molestiis & impedimentis. Quin & calvitium ipsum, accersitis in iudicium, aut supplicium timentibus, effugium ostendit. Idcirco vero Lacedæmonii frontes abradi, capillum à tergo dimitti iusserunt, ut longe tutiores in bello essent, adimereturque hosti facultas in pugna capillum apprehendendi. Nam & barbam etiam ea de causa, præter Græcorum aliorum morem, rasitare consueverunt. Quod si fugam meditentur, instabat à tergo vinculum atque anfa, quo capi possent, atque ita præcapturæ metæ destinatorio animo consiliebant, adversique dimicabant. Pollux Euboicos opisthocomas vocatos ait, & Hectorem Timæus ea per terga fusa coma insignem describit, id quod Abantes primos omnium excogitasse Homerus tradit. Idem Homerus *ρογκομῶντας* Græcos ea de causa vocat, ut antiqui ejus interpretes tradunt, quod moris esset apud Græcos comas nutrire, in signum fortitudinis: Theæaque primum ajunt anteriorem capitis comam Apollini Deliaque dedisse.

MOLLES. CAP. XXXVII.

Æneid. l. 1.

Alioqui coma tam apud Græcos, quam apud Latinos, mollitiei semper signum fuit: comatum enim puerum Græci propro causa dicunt. Et Cicero passim, capillum nunc compositum & delibutum, nunc comptum & madentem, nunc calamistratam in unguentato Consule comam insectat. Vituperat & Maro madentem crinem Mæonia suffultum mitra.